Officia propria SS. Patronorum Regni Sveciae.

Crac. ex off. Schedeliana.
1675.

# OFFICIA PROPRIA SS. PATRONORVM REGNI SVECIÆ EX VETVSTIS BREVIARIIS

ejuſdem Regni deprompta:
Ad inſtantiam Sereniſ. SIGISMVNDI III.
Sueciæ & Poloniæ Regis, à Sac: Rituum Congregatione, auctoritate Apoſtolica, recognita & approbata, atque omnibus tàm in dicto Sueciæ, quàm etiam Poloniæ Regno habitantibus concesſa, ut liberè & licitè translatis vel omisſis aliis Officiis, quæ eadem die occurrunt, recitari posſint & valeant.





CRACOVIÆ,
Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typ.
Anno Magni Iubilei. M. DC. LXXV.

# KALENDARIVM SS. PATRONORVM REGNI SVECIÆ.

## IANVARII.

6. Missa fit pro statu Regni de Sancto Erico.
29. *S. Henrici Episcopi & Martyris.* Duplex. 3
24. Translatio S. Erici Regis & Martyris *duplex.* 6

## FEBRVARII.

4. *S. Ansgarii Episcopi & Confessoris.* duplex. 7
15. *S. Sigfridi Episcopi & Confessoris.* duplex. 11

## MARTII.

23. *S. Catharina Vastanensis, filia S Birgitta.* dupl. 15

## MAII.

18. *S. Erici Regis & Martyris.* duplex. 17

## IVNII.

12. *S. Æschili Episcopi & Martyris.* duplex. 21
21. Missa fit pro statu Regni de Sanctiss. Trinitate.

## IVLII.

SS. Patronorum Regni Sueciæ Dominica proxima post Octauam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. *Duplex* 24
25 S. Davidis Abbatis. 31
28. *S. Botuidi Martyris.* duplex. 32
29. *S Olaui Regis & Martyris.* duplex, 36
31. *S. Helena Vidua & Mart. Scodevensis.* duplex. 39

## AVGVSTI.

2. Commemoratio S. Catharinæ Vastanensis, filiæ S. Birgittæ. 4

## SEPTEMBRIS.

Festum Reliquiarum in Ecclesia Vpsalensi, Dominica proxima post Festum S. Matthæi Apostoli. *dupl* 4

## OCTOBRIS.

4. Translatio S. Æschili Episc. & Martyr. *duplex.* 4
8. *S. Birgitta Vidua.* duplex. 4

OFFICIA

# OFFICIA PROPRIA SS. PATRONORVM REGNI SVECIÆ.

DIE XIX. IANVARII.

*In festo S. Henrici Episcopi & Martyris. Duplex.*

*Ad Vesperas, Antiph.* Qui me confessus fuerit. *cum reliquis de Communi vnius Martyris.*

*Ad Magnificat, Antiph.* Gloriosum Pontificem Henricum, post multiplicem virtutem quâ floruit, per mortem quam sustinuit, victorē vexit hodie Christus in templo gloriæ. *Oratio.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui beato Henrico Martyri tuo atque Pontifici, glorioso triumpho Martyrii largitus es palmam: eius quæsumus meritis & precibus gratiam nobis largiaris & gloriam. Per Dominum.

*Ad Matutinum Inuitatorium, Hymnus, Antiphona, Psalmi, & omnia alia dicuntur de Communi vnius Martyris, exceptis quæ hîc apponuntur.*

*In primo Nocturno leguntur Lectiones, A Mileto de Commu: vnius Martyris.*

*In secundo Nocturno.*

Ex Scriptoribus rerum Sueticarum.

*Lectio iiij.*

REgnante in Suecia S. Rege Erico, Hēricus ex Anglia oriūdus, vitæ sanctitate & morum honestate clarus, atque propterea à Rege specialis familiaritatis gratiâ honoratus, Vpsalensem regebat Ecclesiam. Quibus quasi duobus luminaribus, populus terræ illius ad veri Dei notitiam magis ac magis illustrabatur. Ædificabatur tum crescens in timore Dei Ecclesia, iustitiaque & pax inter subditos propagabatur, cùm Rex sedens in solio, intuitu suo omne malum dissiparet, & bonus pastor super custodiam gregis sui sedulò vigilaret.

℟. Omnes gentes iubilate, Deo cæli exaltate, gaudeat Finlandia; læti Deum collaudate, * Et Henrici celebrate læta natalitia.

℣. Hic effulsit honestate mo-

rum, verbi veritate, Vitæ sanctimonia. Et Henrici.

*Lectio V.*

CVm verò plebs Finlandiæ, tunc à vero Deo aliena, incolis Sueciæ gravia damna frequenter inferret, sanctus Ericus Rex, assumpto secum beato Henrico Vpsalensi Episcopo, collectoque exercitu, contra nominis Christi & Populi sui inimicos expeditioné fecit. Quibus Fidei Christi & suo subjugatis dominio, baptizatis plurimis, & fundatis ibi Ecclesiis, in Sueciam cum gloriosa victoria rediit. Beatus verò Henricus, ad irrigandas imbre cœlestis doctrinæ novellas plantulas, & corroborandum Dei cultum, in Patribus illis remansit, non metuens se quibuslibet adversis exponere, ut possit Dei gloriam dilatare.

℟. Sanctus cuiusdam impij redarguit sævitiam, ut reus homicidij subiret pœnitentiam, * Et pœnitens flagitij consequeretur veniam. ℣. Qui salubris remedij spreuit infœlix gratiã. Et pœnitens.

*Lectio VI.*

EO igitur ædificationi & confirmationi Finlandensium Ecclesiæ prudenter & fideliter insistente, accidit vt quidam homicidij reus ad eum deferretur. Quem ob ipsius facinoris immanitatem, cum Ecclesiastica disciplina corrigere vellet, vir ille sanguinum, salutis remedium contemnens, in ministrum iustitiæ & suæ salutis zelatoré manus injecit, ipsumq; crudeliter trucidavit. Sic Sacerdos Domini, acceptabilis hostia, Divinis oblata conspectibus, occumbens pro iustitia, templum supernæ Ierusalé feliciter intrauit. Cuius sanctitatem Deus, tùm celeri vindicta quæ impium Patricidam consecuta est, tum beneficiis multis ad memoriam eius exhibitis, illustrauit.

℟. Impœnitens malitiæ vir sanguinum, Ecclesiæ despecta disciplina, * In ministrum iustitiæ ferox furit, & rabie hunc occidit ferina. ℣. Sic cum palma victoriæ Præsul intrauit hodie palatia Divina. In ministrum. Gloria Patri. In ministrum.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Evangelii secũdùm Matthæum.

*Lectio VII.* Cap. 16. d.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

*Homil. 56. in Matthæum.*

SI quis vult, sive vir, sive mulier, sive Princeps, sive subditus, hanc viam ingrediatur. Et sermo quidem unum quid significare videtur: tria verò continet, abnegationem sui ipsius, & ut crucē accipias, & tertiò vt Christum sequaris. Quorum duo coniuncta sunt: unum per seipsum separatim ponitur. Si enim intelligis quid sit alium abnegare, tunc rectè percipies, quid sit abnegare teipsum. Qui alium jam abnegavit, fratrem puta, aut servum, aut quemvis alium; Si cædi eum virgis videat, si arceri in vinculis, quidquid aliud pati, eum conspexerit, nō occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus ullo modo movetur, ceu ille qui penitus ab illo alienatus est.

℟. Imitator Salvatoris, vigilanter populis veram fidem Creatoris prędicans, incredulis, * Vt præclari sol fulgoris lucem dedit sæculis ℣. Gloriosi iam laboris fructu gaudet, & honoris insignitur titulis. Vt præclari.

*Lectio viij.*

SIc igitur nullo pacto nos corpori parcere nostro vult, ut neque si cæditur, neque si pellitur, neque si uritur, nec si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi? Non parcamus; cùm id profectò sit verè parcere? Nam etiam tunc patres filiis maximè parcunt, cùm magistris atque Doctoribus tradentes, maxime rogant, ne parcant. Sic igitur Christus non dixit tantùm, non parcas sed significantiùs ac expressiùs: Denega teipsum, pericula subi, certaminibus te offer; & quasi alius hoc patiatur, sic afficiare. Nec dixit, Neget; sed, Abneget; ut hâc adiunctiunculâ plurimum addat: cùm abnegare multò plus quàm negare profectò sit.

℟. O vita commendabilis, ô mors desiderabilis, propter quam venerabilis hic Pontifex fit similis, * In gloria Sanctorum. ℣ Commenda nos amabilis Pater, & honorabilis Martyr, Regi cœlorum. In gloria. Gloria Patri In gloria.

*Lectio ix.*

ET tollat crucem suam. Nam ne quis putet, ad verba usque tantummodò ac contumelias, & opprobria abnegationem hanc sui fieri oportere, id subiunxit, ut videas abnegandos nos esse usque ad mortem, & mortem turpissimam: quam designans non dixit, Abne-

get seipsum usq; ad mortem; sed, Tollat crucem suam, non semel, nec bis, sed continuè, per totam vitam, hanc tecum mortem circumferas, & continuò ad necem paratissimus sis: Et sequatur me. Ne credas ipsius Passionis Naturam per se sufficere, causam ejus subiecit. Quam? ut quæ dicta sunt universa faciens atque patiens, ipsum sequaris: ut scilicet propter ipsum omnia sustineas, utque omnem virtutis numerum habeas. Is enim Christum sequitur, qui non in periculis modò fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris Philosophiæ genus complectitur. Te Deũ laudamus.

*Ad Benedictus, Antiphona.* Christi pugil eximius, & Pontifex egregius, in hac die cælestia triumphator ad gaudia introivit feliciter. Deo fruẽs perenniter.

*In ij. Vesp. ad Magnif. Ant.* Christe virtus pugnantium, corona triumphantium, nos præsens post exilium, Henrici per suffragium, perduc ad perpes gaudium, quo tecum semper omnium, gaudet cætus Fidelium.

DIE XXIV. IANUARII.

*In festo Translationis S. Erici Regis & Mart. Dupl.*

*Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ hîc sunt propria.*

*Ad Magnificat, Antiph.* Ave Martyr pretiose, miles Christi gloriose, aue Regum gloria, O Erice Rex Suecorum, posce nobis peccatorum veniam & gaudia.

*Oratio.*

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Erici Martyris tui Translationem colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dñm nostr.

*In primo Nocturno Lectiones leguntur de Scriptura occurrente.*

*In secundo Nocturno.*

De Sermone S. Ambrosii Episcopi.

*In Natali SS. Nazarii & Celsi. Lectio iiij.*

IMmensa Dei nostri pietas, multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutem, proponẽs arduam virtutum palmam, raro appetitore pretiosam, in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem merita, nostra vult esse suffragia: simulque dùm nobis fidem veram duro Martyrij agone cõmendat, afflictionem præcedentium, instructionem effici poste-

poste

posteriorum. Quanta est erga nos Dei nostri solicitudo! Illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat; eorumque cruciatus, nostros vult esse profectus.
℞. Honestum fecit.

*Lectio v.*

MEritò ergo eos colimus, qui periculis suis pugnât, & nostris utilitatibus militant; qui per lucis vitæque contemptum, edocent nos quantum Deo nostro debeamus affectum. Noverimus itaque, quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem, quasi novellã discutere præsumas; & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas. ℞. Desiderium. *Lectio vj.*

VEneremur ergo in Sanctorum Martyrum gloria Fidem nostram. Quomodo Fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis evidenter asseritur. Nunquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis, resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.
℞. Stola iucunditatis.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium.* Si quis uult post me venire. *de Communi unius Mart.*

*Ad Benedictus, Antiph.* Coronâ fulgens aureâ, flos dignitatis Regiæ, sanctus Ericus ignea vicit tela nequitiæ, sic victor vernans laureâ, Rex & Patronus Sueciæ, fèlix de domo lutea transiit ad Regnum gloriæ.

*In ij. Vesperis, ad Magnificat, Antiph.* Miles Regis gloriæ, tutor innocentium, malleus perfidiæ, Rex Erice bravium apprehendens, in agone ense cæsus hostium, nobis placa Martyr bone Iesum Dei Filium.

DIE IV. FEBRVARII.

*In festo S. Ansgarii Episcopi & Confess. Duplex.*

*Ad Vesperas, Antiph.* Ecce Sacerdos magnus *cum reliquis de Cõmun. Conf. P.* *Hymnus.*

*Hymnus.*

ANsgari Pater optime,
Errantes nos in devio
Reduc tuo juvamine.
Servans in Christi gremio.
Danis & Suecis gratiæ
Donum fidemq; prædicas;
Pugil fontis in acie
Gentes Deo sanctificas.
Notam facis incredulis
Doctrinam Evangelicam,
Lucem ministrans populis
Ducis in viam cœlicam.
Bonus Pastor viriliter
Gregem pascis Dominicum,
Informans, ut veraciter
Christum colat magnificum.
Prudens talenta gratiæ
Cum lucri magnitudine
Adducis Regi gloriæ
In pacis pulchritudine.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

*Ad Magnificat, Antiph.* Ludovicus Imperator dirigit Ansgarium, ut sit Suecis Legislator: docens Evangelium, cæli sparsit ex thesauro veritatis gratiam, ex doctrinæ profert auro fidei constantiã.

*Oratio.*

EXaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Ansgarii Confessoris tui atque Pontificis solẽnitate deferimus: & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis Per Dñ.

*In j. Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In ij Nocturno Lectio iv.*

REligiosa Beati Ansgarii Galli, primi Suecorum & Gothorum Apostoli sanctitas, ab ineunte cœpit statim crescere ætate. Nam vix puериles annos egressus, supernâ visitatiõne per quietem monitus, ut mundi illecebras contemneret, mox in monasterio Corbiensi, S. Benedicti Regulam professus, totum se in Dei Amorem transfudit, assiduè orationi, vigiliis, & abstinentiæ deditus. Cùm autem ad Ludovicum, Caroli Magni Filium Imperatorem, Primo ejus imperii anno, Legati à Rege Suecorum Biorne secundo venissent, qui Christianæ fidei Doctores in Sueciam mitti petebant, beatus Ansgarius, instante Imperatore, onus prædicandi Evangelium per Aquilonaria Regna libenti animo suscepit, statimque Regis Legatos comitatus, ad Regem Biornem in Birca civitate tunc

maxima

maxima agentem, cum Vithmaro & aliis sociis venit.

℟. Inveni David.

*Lectio v.*

AD cujus prædicationem multi Suecorum crediderunt in Christum, & baptizati sunt. Inter hos Præfectus Regis inclytus Heringarius; qui veluti alter Sebastianus, tantũ in suscepta fide floruit, ut in æde sua, quam in Ecclesiam consecrari fecerat, Christo assiduè serviens, cumque prædicans, miraculorum etiam gloriâ illustraretur. Suecis ad fidem conversis & baptizatis, multisq; apud illos Ecclesiis constructis, Ansgarius ad Danos deinde se contulit, cùm regnaret in Dania Erico cognomento impius: Vbi etiam Evangelium prædicans de Impio tyranno piũ Christi ministrũ effecit. Porrò cùm videret, messem esse multam, nec se huic tanto labori solum sufficere posse, destinauit suo loco in Sueciam sanctissimum virum Simonem Episcopum, & Nitardum venerabilem Presbyterum: qui Christianam doctrinam induratis hominibus prædicantes, gravissimas persecutiones sustinuerunt, & ad extremum glorioso martyrio viam suam feliciter cõsummaverunt. Ipse verò primò Hamburgensem Episcopatum, postea Bremensem Archiepiscopatum administravit, probante id Gregorio Papa IV. Apostolica Auctoritate & Pallii concessione; confirmante verò Nicolao Romano Pontifice, qui ipsum ac Successores Legatos & Vicarios Apostolicæ Sedis constituit.

℟. Posui adjutorium.

*Lectio vj.*

HVjus Pontificis tanta erat Sanctitas, ut eam Reges honorarent, Pastores Ecclesiarum magnâ veneratione colerent, Clerus admiraretur, & populus imitaretur universus. Miraculorum quoque gratia singularis ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, & confirmationem Fidei inter gentes eidem à Deo collata fuit. Nam orationibus suis & olei sacri inunctione, plurimos à diversis morbi & languoribus sanabat. Vnde certatim ad eum confluebant infirmi medicinã petentes, & sanitatem integram recipientes. Tandem ætate & laboribus fatigatus, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, gravi corporis infirmitate per quatuor & amplius menses plus solito laborare cœpit: qua licet sic attritus & consumptus esset, ut penè jam de corpore nihil præter neruos & ossa remaneret, nihi-

hilominùs tamen in Dei Laudibus perseverans, invictum ab oratione animum non relaxabat: sicque oculis in cœlum intentus, cum sedisset annos triginta quatuor, spiritum in manus æterni Patris tradidit, anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo quinto Cujus res præclarè gestas Rembertus eiusDiaconus scripsit, & ipse sanctitate conspicuus eius in ede Successor.
℟. Iste est qui ante.

*In tertio Nocturno.*

Lectio S. Evangelii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolā hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua. Homilia S. Gregorii Papæ. *Homilia 9.*

TAlenti nomine cuilibet pauperi etiām hoc ipsum deputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam; prædicationis ministerium debet ex talento: alius terrenam substantiam accepit; erogationem talenti habet ex rebus: alius nec intelligentiam internorum, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem quā pascitur; ipsa ars ei in talenti acceptionem reputabitur: alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse locum familiaritatis apud divitem meruit; talentum profectò familiaritatis accepit: si ergo nil pro indigentibus loquitur, Pro talenti retentione damnatur.

℟. Posuit os suum Dominus, quasi gladium acutum, In umbra manus suæ protexit te, * Et posuit te quasi sagittam electam. ℣. Ansgari, servus meus es tu, quia in te gloriabor. Et posuit te.

*Lectio viij.*

HAbens igitur intellectum, curet omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordiæ largitate torpescat. Habens artem qua regitur, magnopere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur. Habens alloquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Tantùm quippe ab unoquoque nostrûm venturus Iudex exigit, quantùm dedit. Vt ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit, cum tiмore penset quotidie quod accepit. Ecce namq; iam iuxta est, vt ille qui peregrè profectus est redeat. Quasi peregrè quoque abiit qui de

hac terra

hac terra, in qua natus est, lōgè discessit. Sed profectò reuertitur, vt de talētis rationes ponat: quia si à bona actione torpescimus, de ipsis bonis quæ cōtulit nos districti⁹ judicat. ℟. Ansgari, dedi te in lucem Gentiū, vt sis salus mea vsq; ad extremū terræ. * Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabūt Dñm. ℣ Ego elegi te ut eas, & fructum afferas, & fructus tuus maneat. Reges videbunt. Gloria. Reges videbunt.

*Lectio ix.*

CONsideremus igitur quæ accepimus, atq; in eorum erogatione vigilemus Nulla nos à spirituali opere cura impediat: ne, si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam prouocetur. Piger etenim servus, cùm judex culpas examinat, talentum de terra leuat. Quia sunt pleriq;, qui tunc se à terrenis desideriis vel operibus subtrahunt, quando iam per animadversionem Iudicis ad æternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus vt cùm iam iudex ad feriendum imminet, lucrum nos quod fecimus, excuset. Te Deum laudamus.

*Ad Benedictus, Antiphon.* Languidorum multitudo suis sanctis precibus surgit sana, fortitudo daturque debilib⁹, infirmantes apportantur ex diuersis partib⁹, omnes Christū confitentur restitutis viribus.

*In ij. Vesperis ad Magnificat, Antiphona.*

In extremo terræ sita Suediorum regio, iu errorum sorde trita traditur Ansgario, per doctrinam vt polita fiat habitatio Christo, qui est lux & vita summaque perfectio.

## DIE XXV FEBRVARII.

### *In Festo S. Sigfridi Episcopi & Confess. Duplex.*

*Ad Magnificat, Antiph.*

Ecce Sacerdos magnus, *cum reliquis de Communi Confessoris Pontificis.*

*Hymnus.*

SIgfridi almi Præsulis
Odas soluamus carminis,
Qui Suecis verbo dogmatis
Dona fudit Baptismatis.
Vti iubar sui luminis,
Gemma fundit in tenebris,
Sic cultu sancti Numinis
Præsul fulsit hic celebris.
Hic Anglicus natalibus
Procreatus nobilibus:
Testatur id prosapia
Anglorum Regum Regia.
Hic Anglicus Angelicus,
Qui missus nobis cælitus,
Hos iungat suis precibus
Angelorum apicibus.
Deo Patri sit gloria,

Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculũ. A

℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. * Stolam gloriæ induit eum.

*Ad Magnificat, Antiphon.*

In hymnis & confessionibus magnificemus Dominum, qui fidei gratia sanctum Sigfridum euocauit ab Anglia, cuius doctrina aurea, Sueonum resplenduit Ecclesia, per ipsius merita pia, semper apud Deum inueniamus auxilia.

*Oratio.*

DEvs, qui beatum Sigfridum Confessorem tuum, Euangelicæ prædicationis gratia sublimasti: præsta quæsumus; vt & doctrina eius erudiamur, & precibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

*In j. Noctur. leguntur Lect: de Script. occurr.*

*In secundo Nocturno.*

Ex Annalibus Sueticis

*Lectio iv.*

MOrtuo Beato Ansgario, cùm Suecia ad cultum idolorum relapsa, in pristinis errorum tenebris per multos annos versaretur, Olaus Skothkonung dictus, Sueonum & Gothorum Rex, Christianæ religionis studio incensus, per Legatos apud Anglorum Regem egit, vt viros aliquos pios & Christiana lege eruditos ad se mittendos curaret. Qui congregato Episcoporum & Sacerdotum concilio, piam Sueonum Regis postulationem ipsis aperuit, hortatusq; est, vt ex suo ordine aliquos deligerent, qui labores, pericula, ac mortem etiam pro Christi gloria sustinere vellent. Tunc beatus Sigfridus, Episcopus Anglus, vir genere Regio, doctrina, & auctoritate illustris, videns ex triduano colloquio, nullos vel certè paucos repertos fuisse, qui se vellent tanto periculo committere, ipse spontè se ad eam peregrinationem obtulit. ℟. Inueni Dauid.

*Lectio v.*

ITaque venerabilis Pontifex Sigfridus, relicta patria, superatis longissimis & periculosissimis maris itineribus, cum tribus nepotibus suis, & beato Aeschilo consanguineo suo, circa Annum Domini millesimum peruenit in Gothiam, vbi nunc Vexionensis Ecclesia cernitur. Quo in loco, cùm sub papilionibus sacrificium Domino offerret, à Præfecto Regio in eleuatione Hostiæ puerum visus eleuasse. De cuius aduẽtu & miraculis, quàmprimùm Rex ab eodem Præfecto resciuit, obuiam processit aduentanti, atque viro Dei verbum salutis prædicante, credi-

redidit ipse & omnis populus. Dum instituendis Ecclesijs occuparetur, audit cum magno animi dolore tres nepotes suos, quibus Ecclesiam Vexionensem commiserat, occisos, spoliatos, & abscissis capitibus in stagnum proiectos esse. De quibus interfectoribus Rex dignum supplicium sumere voluit; sed benignissimus Pontifex, ne occiderentur orabat, desursum omnem consolationem expectans.

℟. Posui adiutorium.

*Lectio vj.*

NEc Deus sancto suo in tanto dolore laboranti defuit. Cùm enim quadam nocte circa stagnum Vexionensi Ecclesiæ contiguum orans inambularet, vidit à longè tria lumina per aquas ad se deferri: quorum indicio vrnam, in quâ capita charissimorum nepotũ proiecta erant, in aquis inuenit: quæ adhuc roseo cruore perfusa aspiciens, dixit: Vindicet Deus. Cui mox ex capitibus vnum respondit: Vindicabit. Alterum dixit: Quãdo? Tertium subiunxit, in filios filiorum. Quod illæ interfectorum familiæ in hanc vsquediem re ipsa experiuntur. Non tamen propterea sanctus Christi Confessor animum à Christi fide propaganda, & potius sancto Euangelio annunciando remisit. Tandem post longos labores, & continua sanctissimæ vitæ studia, plenus dierum ad Deum, cui fideliter seruierat, migrauit. Sepultus in Ecclesia Vexionensi, quam ipse Angelica visione monitus erigendam curauerat; multisque miraculis clarus, in Sanctorum numerum relatus est.

℟. Iste est qui ante.

*In tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

*Lectio vij. Cap. 25.*

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

*Ex Homil. 96. in Matthæ.*

TAlenta hic pro eo quod vnusquisque facere potest, accipimus; siue auctoritate protegere, siue pecunijs iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat. Cum vnum talentum habeam, nil possum efficere: potest profectò ex vna re sola comprobari. Non es pauperior illa vidua, non es Petro atque Ioanne rusticior: qui quamuis rudes atque illiterati

terati fuerunt, quoniam magno studio communem vtilitatem complexi fuerant, cælorum Principes facti sunt. Quippe nulla res Deo gratior est, quam vt vniuersam vitam ad commune commodum cōferas.

℟. O charitas veneranda, quâ ferues Christi athleta,* Dum hostibus poscis veniam, Regnique cælestis gloriam.

℣. Fide plenus & merito, gregem commenda Domino. Dum hostibus.

*Lectio viij.*

IDcircò ratione atque oratione nos Deus decorauit, mentem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, vt his omnibus & nos ipsos & proximos tutemur: non enim ad agendas gratias solummodò confert oratio, verùm etiam ad docendum & admonendum perutilis est. Qua in re si ea diligenter vtemur, Dominum; si verò in contrarijs, diabolum imitabimur. Nam & Petrus, quandoquidem Christū confitebatur, quasi ea dicens quæ Patris sunt, beatificabatur: quod autem crucem horrebat atque repellebat, quasi ea quæ diaboli sunt sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus?

℟. Immenso Saluatoris amore feruebas, ô Sigfride, dum patriam pro eius affectu reliquisti atque mundi gloriam, ideò audire meruisti: * Possidе Regnum tibi paratum ab origine mundi.

℣. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Veni benedicte Patris mei Possidе. Gloria. Possidе.

*Lectio ix.*

EA ergo loquamur, quæ Christi verba esse confestim cognoscuntur. Nec enim cùm dixero, Surge & ambula; neque cùm dixero, Tabitha surge; tunc solùm Christi verba loquor: verùm etiam multò magis, si contumelijs agitatus benedixero; si oppressus iniuria, pro opprimentibus orabo. Sic ille contumeliantibus respondebat, dicens: Ego dæmonium non habeo. Et rursus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, linguæ illi lingua tua simillima est. Hæc non ego, sed ipse Deus confirmat. Qui separauerit pretiosum à vili, is quasi os meum erit. Cùm igitur lingua tua sit Christi, & os tuum Patris fiat, & sancti Spiritus

[ei]us templum sis; quis honor, [q]uod decus maius hoc exco[gi]tari poterit? Non si ex auro tibi conficeretur, non si [g]emmis construeretur, ita [pr]æfulgeret, vt tunc hoc hu[m]ilitatis ornatu resplendet. Te Deum laudamus.

*[A]d Laudes, & per Horas, Antiphona.* Ecce sacerdos. *[Rel]iquum reliqua vt in Commū.*

*Hymnus*

[I]Gnitus sancto Flamine,
Et Dei tactus famine
Sigfridus, gentem patriam
Postponens, adit Sueciam.
Illic Regem cum populo
Potatum fraudis poculo
Inuenit, & condoluit,
Quòd hæc gens deos coluit.
Mox vnum Deum prædicat.
Regi sic fatur & indicat:
Saluus erit, qui crediderit,
Baptizatusque fuerit.
Rigatus verbo fidei
Olauus fit cultor Dei,
Cor præbēs sancto dogmati,
Colum subdit Baptismati.
Sigfridus dictus signifer,
Et Dei verus armiger
Hostem strauit nequitiæ,
Gentem Baptizans Sueciæ.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Pâraclito,
In sempiterna sæcula Amen.

℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

*Ad Benedictus. Antiph.* Celebremus, charissimi, deuotè recolendo annua beati Sigfridi solemnia, cuius sacra hodie anima felix cæli scandit fastigia, cui Angelica occurrens curia, eum gaudens suscepit cum gloria.

*In ij. Vesperis, ad Magnif.*
*Antiphona.*

In signis & virtutibus hostem supplantat Sigfridus, dum tibi fide gentium cateruam sociat: nunc quia tecum regnat: Iesu Christe, nos ipsius per merita, tua saluet gratia.

## DIE XXIII. MARTII.

*Sancta Catharina Vastanēsis, filia S. Birgittæ.*
*Duplex.*

*Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ hic sunt propria. Oratio.*

DEus, qui Ecclesiam tuam beatæ Catharinæ Virginis præclaris decoras meritis. & gloriosis lætificas miraculis: concede nobis famulis tuis; vt & exemplis eius in melius reformemur, & patrocinio ab omnibus aduersis protegamur. Per Dominum nostrum.

*In secundo Nocturno.*
Ex Surio, tom. 2.
*Lectio iv.*

CAtharina Sueca, sanctorum parentum sancta filia, statim ab

tim ab infantia egregium castitatis futuræ specimen dedit, cùm adhuc lactens incontinentioris nutricis vbera sugere omnino abhorruit. Postea, iuncta licet coniugio fuerit, in virginitate tamen; viro annuente, permansit. Ambo itaque, castitate Deo promissa, vigilijs orationibꝰ, ieiunijs, & humi cubationibus carnem suam mortificabant, vestium simplicitate veram & voluntariam humilitatem profitentes; nec ab ijs pietatis exercitijs vllis propinquorum & aliorum sermonibus se retrahi passi sunt. Immò verò exemplo sanctæ Virginis multæ nobiles feminæ vestium pompas & superfluum cultum deposuerunt. Inter ceteras vxor fratris eius Caroli, Calmariæ in Ecclesia à Beatissima Virgine per visionem admonita, vt Catharinam simplicitate imitaretur, vitam in melius commutauit.

℣. Propter veritatem.

*Lectio V.*

CVm verò beata Birgitta mater eius Romam diuino iussu profecta fuisset, Catharina quinto post anno, concedente viro, secuta est matrem, annum agens decimum & octauum: vbi quàm primū, relictis omnibus, matri assistere, & pro Christo quæque aduersa pati constituit. Tanta illi à Deo collata est eloquētia, vt eam Principes etiam & eruditi viri admirarentur. Et quia à principio sentiebat inici sibi magnum soli natalis desiderium, contra tentationem hanc, pia matris oratione, disciplinæ remedio, & voto obedientiæ se muniuit. Vixit igitur sub matris cura per viginti quinq; annos, non secus ac in monasterio, paupertatem Christi amore vltrò complexa; quam Dominus miraculo aliquoties cohonestauit: nam viles pannos eius in oculis diuitum, velut purpureos ac pretiosos, exhibuit. Pro defensione verò castitatis suæ sanctum Sebastianum Martyrem à Deo poposcit, cuius patrocinio deinceps à multis periculis liberata est.

℟. Dilexisti.

*Lectio VI.*

ERga pauperes & afflictos summa afficiebatur misericordia. Silentium summoperè amabat: si quando loquebatur, narratio eius fuit in præceptis Altissimi. Quocumque mater profecta fuisset, venerabilis virgo illi vbique adfuit. Sacra loca omnia & Dominicum sepulchrum Ierosolymis cum ea inuisit. Matre verò mortua, corpus eius detulit in Sueciam, confluente

ad sacras

ad sacras illas reliquias deuotè exosculandas vndique innumera populi multitudine. Quæ cùm in monasterio Vastanensi depositæ multis cœpissent coruscare miraculis, Catharina à Rege & Proceribus iterùm Romam mittitur, vt Sanctæ matris suæ inter Sanctos relationem procuraret. Eo sancto labore per quinquennium diligentissimè functa, ad monasterium Vastanense reuertens, Tiberinæ fundationis repressione, vexatorum à dæmonio liberatione, elisorum & confractorum sanatione, multisq; alijs miraculis clara, quieuit in pace anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo, vndecimo Kalendas Aprilis, pridie Annuntiationis Dominicæ.

℟. Afferentur Regi

*In tertio Nocturno, Homilia Sancti Ioannis Chrisostomi in Euangelium.*

Accesserunt ad Iesū Pharisæi, *de Communi Virginum.*

## DIE XVIII. MAII.

*In Festo Sancti Erici Regis & Martyris. Duplex.*

*Ad Vesperas, Antiphona.*

Sancti tui Domine. *cum reliquis de communi Martyrum tēpore Paschali, Psal.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica: & loco vltimi, Psalmus 1.* Laudate Dominum omnes Gentes.

*Capitulum* Sap. 5.

Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

*Hymnus.*

Adest dies lætitiæ
Fulget Erici gloria;
Rex & Patronus Succiæ
Cæli petit palatia.

Quem vernantem virtutibus
Sublimat sceptro regio
Plebs læta cum Principibus
Concordi desiderio.

Maceratur ieiunijs
Sacrum Sancti corpusculum,
Velaturque cilicijs
Hoc Christi tabernaculum.

Ministros Rex magnificus
Cultus Dei multiplicat,
Vt Salomon pacificus,
Et templa reædificat.

Scuto munitus fidei,
Tela repellens hostium,
Ad regnum Dei prouehi
Meretur per martyrium.

Per huius Sancti merita
Iesu redemptor omnium,
Dimitte nobis debita,
Et da perenne gaudium. Amen.

℣. Sancti & iusti in Domino gaudete, Alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hereditatem sibi, Alleluia.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Aue Martyr prætiose, miles Christi gloriose, aue Regum gloria, ô Erice Rex Suecorũ, posce nobis peccatorum veniam, & gaudia, Alleluia.

*Oratio.*

DEvs, qui beato Erico Regi & Martyri tuo, victoriæ palmam & cælestis Regni gloriam contulisti: fac nos, quæ sumus, ejus meritis & intercessione, cuncta nobis aduersantia vincere, & coronam gloriæ in cælis feliciter obtinere. Per Dominum nostrum.

*Ad Matutinum, omnia dicuntur de Cõmuni Martyrum tempore Paschali, exceptis ijs quæ hîc assignantur.*

*Hymnus.*

HYmnum nouæ lætitiæ
Noua deposcunt omnia;
Martyr Ericus hodie
Noua potitur gloria.
Hic, vt Elias, impiam,
Exponens se certamini,
Expugnat idolatriam,
Zelans pro lege Domini.
Ecclesiam Catholicam
Dilatat, gentem Finnonum
Rex ad fidem Dominicam
Trahens à cultu dæmonum.
Agnellus innocentiæ
Dum sustinet Martyrium,
Deo placentis hostiæ
Consummat sacrificium,
Sancti sacrato sanguine
Sua contingens lumina,
Diu priuata lumine
Illuminatur femina.
Per huius Sancti merita,
Iesu Redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium. Amen.

*In primo Nocturno, Ant.* Rex erat Ericus humilis, deuotus, honestus, prudens, munificus, patiens, pius, atque modestus, alleluia.

*Psalmi de Communi.*

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura.*

*In secundo Nocturno, Antiphona.*

Correxit Sueciæ leges, seruire coëgit Christo perfidiæ gentes, quas ense subegit, alleluia.

*Psalmi de Communi.*

Ex Annalibus Sueticis.

*Lectio iv.*

CLarissimum Regni Sueciæ lumen Ericus, Iaduardi nobilissimi patris optimus filius, ab ineunte ætate in timore Domini educatus est. Christina deinde Ingonis Regis filia, Philippi nepte, vxore accepta, factus est cum ea omnibus præclarum virtutis exemplar; ita vt Regno vacante, patriaque in maximis periculis constituta, à Principibus terræ & omni populo, magno

magno consensu in Regem electus fuerit. In throno Regio constitutus, totam suam curam & solicitudinem contulit primò ad cultus diuini amplificationem, & Ecclesiarum ædificationem: deinde ad populi in pace gubernationem, iustitiæque administrationem, tum ad hostium fidei & regni expurgationem. Ad quæ feliciter perficienda, diuina prouidentia nactus erat sanctissimæ vitæ & summæ eruditionis virum, beatum Henricum Episcopum Vpsalensem, ad cuius consilia & pias exhortationes pius Rex omnem vitæ suæ cursum iuxta præceptum Domini ordinabat. ℟. Lux perpetua.

*Lectio V.*

ERant tum Finnones non solùm Regni, sed etiam fidei Christianæ pertinacissimi hostes: qui continua bella & damna Sueonibus inferebant. Eos Rex Sanctus, collecto exercitu, non solùm Regno adiunxit, sed etiam cura beati Henrici Episcopi Vpsalensis, ad fidem Christi adduxit. Superatis autem hostibus, in Sueciam reuersus, velut alter Salomon omne studium ad Ecclesias erigendas & dotandas conuertit: ac inter cetera suæ pietatis & magnificentiæ opera, Ecclesiam Vpsalensem ab antiquis Regibus fundatam, opere magnifico ac planè Regio consummauit. Iustitiæ & pacis inter subditos, ac defensionis pauperum ab oppressione, primam & summam rationem habuit. In subditos autem suos adeo clemens & benignus extitit, vt tertiam partem pœnarum, quæ ad reipublicæ fiscum ex consuetudine pertinebat, sibi offerentes, pia obiurgatione sæpè repulerit, dicens: Mihi mea sufficiunt, vobis vestra seruate. ℟. In seruis suis.

*Lectio Vj.*

DIci non potest, quanta fuerit huius Regis sanctitas, in orationibus, ieiunijs, vigilijs, in castigatione carnis, in cilicijs, in eleemosinis. Apud eum inopes, infirmi, & calamitosi, & quacunque aduersitate afflicti, præsentissimam semper consolationem inuenerunt. Quæ opera eius quoniam non erant de mundo, mundus eum odio habere cœpit. Quidam enim Sueciæ Primates, in necem eius conspirantes, Henricum Scatelerum Sueonis Danici filium, cognatum eius, contra illum concitauerunt. Qui Ericum apud Vpsalensem Metropolim, ipso die Ascensionis Domini, sacrificium Missæ audientem, ex improuiso cum exci-

exercitu adortus est. Pius Rex, quamuis à suis moneretur, hostem iam propè adesse, nō-nisi tamen finito sacrificio illi obuiàm processit. Cum quo strenuè decertans, regnum terrenum cælesti & sempiterno Regno commutauit, Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, ibidem in Vpsalensi Ecclesia sepultus. Per quem Deus multa ad multorum salutem miracula operatur. ℟. Filiæ Ierusalem.

*In tertio Noctur. Antiph.* Dignè promeruit Sanctis moriens sociari, qui Domino studuit viuēs verè famulari, all.

*Psalmi de Communi.*

*Lectiones de Homilia S. Augustini Episcopi in Euangelium.* Ego sum vitis, vos palmites. *Vt in Communi Martyrum tempore Pasch.*

℟. vij. Pax patriæ, decus Ecclesiæ, vicijs inimicus, * Rex Sueciæ cælos hodie conscendit Ericus, alleluia. ℣. Pro fidei feruore Dei dilectus amicus. Rex Sueciæ.

℟. viij. O miles Christi, qui Martyrio meruisti Sanctis cōiungi, iunctus diademate fungi victor regali, * Fidei merito speciali, alleluia. ℣. Perduc qui Christum laudant ad gaudia vitæ Fidei merito. Gloria. Fidei.

AD LAVDES,

*Hymnus.*

Laudes ad laudes iungite,
Nec desit laus in laudibus,
Pro nouo Christi milite
Cæli coniuncto ciuibus.
Obsidetur ab hostibus
Ascensionis tempore
Sanctus Ericus, laudibus
Dei vacans summopere.
Crucem sibi Dominicam
Rex imprimens salubriter
Vadit contra maleficam.
Cateruam magnanimiter.
Nouus Dauid viriliter
Agens, dum mundo moritur,
Sanctam Sion feliciter
Regnaturus ingreditur
Victor regnans in æthere,
Magnus fulgens miraculis,
Miro virtutum genere
Multis succurrit populis.
Per huius Sancti merita,
Iesu Redemptor omnium,
Dimitte nobis debita,
Et da perenne gaudium. A.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. ℟. Mons sanctorum eius, alleluia.

*Ad Benedictus, Antiph.* Corona fulgens aurea, flo dignitatis Regiæ, sanctus Ericus ignea vicit tela nequitiæ, sic victor vernans laurea Rex & patronus Sueciæ, felix de domo lutea, transit ad Regnum gloriæ, alleluia.

*In ij. Vesperis, ad Magnificat, Antiphona.* Mil

Regis

Regis gloriæ, tutor innocentium, malleus perfidiæ, Rex Erice, brauium apprehendens in agone, cuius cæsus hostium, nobis placa Martyr bone Iesum Dei Filium, alleluia.

DIE XII. IVNII.

*In Festo S. Aeschili Episcopi & Mart. Duplex.*

*Ad Vesperas, Antiphona.*

Qui me confessus fuerit. *cum reliquis de Communi Vnius Martyris, præter ea quæ hic assignantur.*

*Capitulum.* Iacob. 1. b

Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

*Hymnus.*

Iam dies adest celebris,
Noua resultant cantica:
Quia fugatis tenebris,
Regnat fides Catholica.
Gaude parens Britannia,
De tantæ prolis munere:
Exulta magis Suecia,
De nouo lucis sidere.
Aeschilus signis emicat,
Ritus confutans gentium,
Christum auctorem prædicat,
Et Saluatorem omnium.
Verbis exemplis claruit,
Saluti studens omnium:
Tandem mortem sustinuit,
Migrans felix ad gaudium.
Tibi sit laus & gloria
Corona triumphantium:
Nos Aeschili prece pia
Duc ad cæli palatium. Amen.

℣. Gloria & honore coronasti eum Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

*Ad Magnificat, Antiph.*

Aeschile flos Præsulum, pater pietatis, Clericorum speculum, doctor veritatis, tuæ replet sæculum fama sanctitatis: iunge tuum populum ciuibus beatis.

*Oratio.*

Deus, qui beatum Aeschilum Pontificem tuum, pro fidei dilatione, Martyrium subire voluisti: præsta quæsumus: vt omnes qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum Per Dominum nostrum.

AD MATVTINVM,

*Hymnus.*

Aeschili pro victoria
Gaude mater Ecclesia,
Christi suffulta gratia
Deuota fac tripudia.
Pius, deuotus, humilis,
Viuendi formam præbuit,
In lege Dei oculis,
Verbis, exemplis claruit.
In fide luxit omnibus
Per signa, per prodigia;
Mundum calcans sub pedibus
Manum misit ad fortia.
Mors corporis contemnitur,
Dum Christi mors attenditur:
Vincit.

Vincit ergo dum vincitur:
Magis vincit cùm moritur.
Tibi sit laus & gloria,
Corona triumphantium:
Nos Aeschili prece pia
Duc ad cæli palatium. Amē.

*In j. Noctur. leguntur Lectiones de Scriptura occur.*

*In secundo Nocturno.*

Ex Annalibus Sueticis

*Lectio iv.*

AEschilus Anglus, beati Sigfridi consanguineus, à puero illecebris huius vitæ contemptis, totum se in amorem Dei dedit, ita vt sanctum Abraham imitatus, exierit de terra sua & de cognatione sua, ac in Sueciam, post prædicatum in ea à beato Ansgario Euangelium ad idola colenda relapsam, beatum Sigfridum secutus fuerit. Qui cùm Christianam fidem apud Gothos & Sueones indefesso animo prædicaret, bonusque Christi odor omnibus esset: apud Regem Sueciæ Ingonem, omnesque bonos summam venerationem sibi conciliauit, nec multò post, omnium consensu, in Episcopum Ecclesiæ, quæ vocatur Nordhanscog, electus, à beato Sigfrido consecratus fuit. ℟. Honestum fecit.

*Lectio v.*

POsitus tamquam lucerna super candelabrum in domo Domini, magis ac magis omnibus qui ingrediuntur, lúmen præbere curabat. Multi ad eius prædicationem fana & delubra subuertere, lucos succidere, & noua Deo altaria erigere cœperunt, fauente & adiuuante Rege Ingone. Sed ijs Christianæ fidei incrementis inuidens satan, quorumdam peruersorum animos contra Pontificem, ac Regem etiam ipsum, concitauit. Quocirca nefarij homines Ingone Rege Christiano interfecto, Suenonem, cognomento Sanguinarium, hominem à Christiana religione alienum, elegerunt: volentes totam religionis stirpē à radice penitus euellere, Quorum impijs conatibus sanctus Pontifex magno animo obstitit. ℟. Desiderium animæ.

*Lectio vj.*

POrrò cùm cerneret se dictis nil proficere, fide inuocauit Dominum, vt faceret suæ offensionis euidentiam. Et intonuit de cælo Dominus grandineque, niue, pluuia, aras immolantium subuertit; Episcopum verò sanctum ne vna quidem pluuiæ gutta attigit. Quo viso filij Belial furore repleti, impetum vnanimiter in Sanctum fecerunt. Vnus caput eius lapide percussit: alter securi confregit:

cadens-

cadentem in terram sanguine perfusum alij rapuerunt, & ad regem traxerunt, dicentes, magicis artibus ad iniuriam deorum & regis ipsum aëra concitasse. Sententia igitur contra eum lata à Rege, ipso die Passionis Domini, vt quōdam Stephanus, lapidibus obrutus, ex hac vita in æternā transijt. Cuius corpus à fidelibus honorificentissimè sepultum in Ecclesia ad memoriam eius ædificata, multis coruscat miraculis.
℟. Stola iucunditatis.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Euangelij secundum Ioannem.

*Lectio vij.* *Cap.* 10. b

IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et reliqua. Homilia Sancti Gregorij Papæ.

*Homilia 17.*

AD messem multam operarij pauci sunt; quod sine graui mœrore loqui non possumus. Quia etsi sunt qui bona audiunt, desunt tamen qui dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus.
℟. Gaude felix Suecia, lauda Saluatorem quia de Britannia tibi dat Pastorem, * Qui vas plenum gratia Christi dat odorem. ℣. Erranti tibi sit diuinum dux in amorem. Qui vas.

*Lectio viij.*

PEnsemus ergo cuius damnationis sit, sine labore hîc percipere mercedem laboris. Pensemus cuius sit apud Deum criminis peccatorum pretium manducare, & nihil cōtra peccata prædicando agere. Pensemus ergo: qui vmquam per linguam nostram conuersi? qui de peruerso suo opere, nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis auaritiam, quis superbiam declinauit? Pensemus quod lucrum Deo facimus nos, quī accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: Negotiamini dum venio. ℟. Transit ab exilio mundi rubricatus, in cæli rosario dignè transplantatus, * Bino pollens præmio gaudet laureatus. ℣. Qui gregis sui ante Deum excuset reatus. Bino pollens. Gloria. Bino

*Lectio jx.*

ECce iam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot eius cōspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamꝰ ante oculos nostros illum tātæ districtionis diem, quo iudex veniet, & rationem cum seruis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & vnusquisq; quid sit operatus, ostendetur.

Te Deum,

AD LAVDES,

*Hymnus.*

SVmmi præcepta Domini
Contempserunt maleuoli,
Et necem suo Præsuli
Parauerunt increduli.
Percussus est lapidibus
Aeschilus sicut Stephanus,
Et sic pro occisoribus
Deum orat humillimus.
Indulge ait, miseris,
Pater, dimitte vitia,
Christe emunda crimina,
Collata indulgentia.
Dei Martyr egregie
Pro nobis Deum postula
Vt hunc queamus colere
In sempiterna sæcula, Amē.

℣. Iustus vt palma florebit.
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

*Ad Benedictus, Antiph.* O Præsul mitissime, patris lucerna, lux errantis animæ, deuios guberna, ductor gregis optime, nos duc ad superna, vbi pascet intime gregem lux æterna. *Oratio.* Deus, qui beatum Aeschilum 16.

*In ij. Vesp. ad Magnif.*

*Antiphona.* Vale pater patriæ, fidei zelator, turpis idolatriæ felix triumphator, nobilis Ecclesiæ Doctor & fundator, tuæ sis familiæ iugis consolator.

IN MENSE IVLIO

*Celebratur Festum Sanctorum Patronum Regni Sueciæ Dominica proxima post Octauā SS. Petri & Pauli Apostolorum.*

AD VESPERAS,

*Antiph.* Sancti per fidem. *cum reliquis de Laudibus.* 22. *Psal* Dixit Dominus. *cum reliqu. de Dominica: & loco vltimi, Psal.* Laudate Dominum omnes gentes.

*Capitulum.* Eccli. 44.

LAudemus viros gloriosos & parentes nostros in gene-

nera-

neratione sua. Multam glori-am fecit Dominus magnifi-centia sua à sæculo.

*Hymnus.*

PLacare, Christe, seruulis,
Quibus Patris clementiam
Tuæ ad Tribunal gratiæ
Patrona Virgo postulat.
Et vos beata, per nouem
Distincta gyros Agmina:
Antiqua cum præsentibus,
Futura damna pellite.
Apostoli cum Vatibus,
Apud seuerum Iudicem,
Veris reorum fletibus
Exposcite indulgentiam.
Vos purpurati Martyres
Vos candidati præmio
Confessionis, exules
Vocate nos in patriam.
Chorea casta Virginum,
Et quos eremus incolas
Transmisit astris, Cælitum
Locate nos in sedibus.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Vt vnus omnes vnicum
Ouile nos Pastor regat.
Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris vnico,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

*Ad Magnificat, in vtrisq; Vesperis, Antiphona.* Recordare Domine gloriosæ matris tuæ Mariæ, & dilectorum seruorum tuorum Ioannis Baptistæ, Laurentij, Ansgarij, Sigfridi, Aeschili, Dauidis, Henrici, Erici, Botuidi, Helenæ, Birgittæ, Catharinæ, & aliorum Sanctorum Patronorum nostrorum: & ne auferas misericordiam tuam à nobis.

*Oratio.*

INfirmitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice: & mala omnia, quæ pro peccatis nostris iustè meremur, sanctorum tuorum huius Regni Patronorum intercessione clementer auerte. Per Dominum.

*Deinde fit commemor. Dominicæ. Ad Matutinum. Inuitatorium.*

Christum Regem per sanctos Patronos nobis prædicatum, * Venite adoremus. *Psal.* Venite, exultemus. *Hymn.* Placare, Christe, seruulis, *vt supra.*

*In primo Noct. Antiph.* Nouit Dominus viam iustorum, qui in lege eius meditantur die ac nocte. *Psalm.* Beatus vir, *cum reliquis, vt in festo omnium Sanctorum, Antiphona.* Mirificauit Dominus Sanctos suos, & exaudiuit eos clamantes ad se. *Psalm.* Cùm inuocarem.

*Antiphona.* Admirabile est nomen tuum Domine: quia gloria & honore coronasti Sanctos tuos, & constituisti eos super opera manuum tuarum. *Psalm.* Domine Dominus noster. ℣. Lætamini in Domino & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

De libro Ecclesiastici.

*Lectio j.* Cap 44.

LAudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum. ℟. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum. Quia hodie descendit lux magna in terris. ℣. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quia hodie.

*Lectio ij.*

HOmines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: & sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt, quasi non nati, & filij ipsorum cum ipsis.

℟. Beata es Virgo Maria, Dei genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum. * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ℣. Aue Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede.

*Lectio iij.*

SEd illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: & filij eorum propter illos vsque in æternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.

℟. In conspectu Angelorum psallam tibi: * Et adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Dñe.

℣. super

℣. Super misericordia tua & veritate tua, quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. Et adorabo. Gloria patri. Et adorabo.

*In secundo Noct. Antiph.* Domine, qui operati sunt iustitiam, habitabunt in tabernaculo tuo, & requiescent in monte Sancto tuo *Psalm.* Domine quis habitabit. *Antiph.* Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. *Psalmus.* Domini est terra. *Antiph.* Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. *Psalm.* Beati quorum ℣. Et delectentur in lætitia.

*Lectio jV.*

ADest nobis, dilectissimi, Regni Sueciæ Patronorum præclara festiuitas, diuinorum operum plena miraculis, & spiritualibus gaudiorum referta mysterijs. In qua, missis ad nos cælestis Patrisfamilias nuntijs, ad præparatas æterni conuiuij delicias inuitantibus, diuinæ miserationis intuitu nos respicere dignatus est. Anno enim Domini octingentesimo vigesimo sexto Ludouicus Caroli Magni filius, Imperator Christianissimus, cùm iam per patrem Saxonia lumen fidei recepisset, sollicitè studuit Suecorum & Danorum gentem, cum alijs maritimis regionibus, adiungere fidei Christianæ Quod tantæ pietatis officium venerabilis Pater Ansgarius cum suo collega Virtimaro, magno animo suscepit. Benignè autem susceptus à Rege Suconū Berone in ciuitate Birca, cœpit cum fiducia prædicare verbum Dei, multique credentes in Christum baptizati sunt: inter quos Præfectus loci Engarius, seu Ericus, fundata in hereditate sua Ecclesia, multos ad fidem conuertebat. His in Suecia per gratiam Dei patratis, Ansgarius in Hamburgensem Ecclesiam se contulit, relinquens in loco suo apud Bircam Simonem Pontificem, & Nitardum Presbyterum: qui Christianam doctrinam prædicantes, glorioso Martyrio vitam consummarunt.

℟. Præcursor Domini venit, de quo ipse testatur: * Nullus maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. ℣. Hic est Propheta, & plus quàm Propheta, de quo Saluator ait. Nullus maior.

*Lectio V.*

MOrtuo beato Ansgario, ad idola sua iterùm reuerti cœpit, factaque sunt nouissima Sueciæ peiora prioribus, Quod

bus. Quod cernens cælestis ille agricola, post centum ferè & quadraginta annos excitauit cor Sancti Sigfridi Episcopi Angli, eique viros religiosos & sanctos tres nepotes, & beatum Aeschilum cōsanguineum eius, adiunxit socios. Quibus prædicantibus Rex Olauus Skothkonung dictus, in Christum credidit, & multas Ecclesias in Regno Sueciæ erexit. Postquam verò isti per palmam Martyrij ad gloriam transissent æternam, Beatus Dauid vir religiosus, mortem pro Christo non reformidans, in Sueciam ab Anglia venit, vt nouos in fide confirmaret, & aliquid gratiæ spiritualis illis impertiret. Procedente deinde tempore, cùm adhuc pars aliqua restaret eorum qui non credebant, beatus Henricus à Britannia cælitus destinatur: Vpsalensis primùm Antistes, posteà Finlandensis Ecclesiæ Apostolicus fundator & institutor: in qua excolenda ad mortem vsque fideliter laborauit.

℞. Isti sunt, qui viuentes in carne, plantauerunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Calicem.

*Lectio vj.*

PLantata verò in Regno Sueciæ fide Catholica, & iuxta Apostolicam traditionem magisterio prædictorum venerabilium Patrũ Ecclesijs institutis, flores apparuerunt in terra nostra, non iam aliunde adducti, sed nati, & in sanguinis germine procreati, qui virtutum exemplis Sueticam mirum in modum illustrarunt Ecclesiam. Hi sunt, Deo dilectus Rex sanctus Ericus, & vir venerandus, beatus Botuidus: qui triumphali coronati martyrio, beatas cælorum mansiones possederunt. Hos sequuntur insignes viduæ, vita & moribus prædicandæ, beata videlicet Helena Westrogotha, quæ & ipsa meruit Martyrio coronari; beata quoque Birgitta femina mirifica, multarum nationum testimonio prædicata, cum qua locutus est Deus, & ostendit illi secreta sua. Iungitur his in gloria felix & beata Catharina, eiusdem sanctæ Birgittæ filia; quam ab infantia omnipotens Deus prodigijs & miraculis miltis decorauerat, & vsque in hunc diem non desinit decorare.

℞. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, * Mercedem laboris ego reddam vo-

dam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria. Mercedem.

*In tertio Noct. Antiph.*

Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum: ecce oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore. *Antiphona.* Domine spes Sanctorum, & turris fortitudinis eorum, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum: & habitabunt in tabernaculo tuo in sæcula. *Psal.* Exaudi Deus deprecationem: *Antiphona.* Qui diligitis Dominum, lætamini in Domino, & confitemini memoriæ sanctitatis eius. *Psalm.* Dominus regnauit, exultet. ℣. Iusti autem in perpetuum viuent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

*Lectio* vij Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.

Homil. S. Bernardi Abbatis. *Serm. 1. in Festo Omnium Sanctorum.*

FEstiuitatem hodiernã sanctorum Patronorum cum omni deuotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur & est beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cuiuslibet ceterorum; quanta ista est, quæ non vnius tantùm est, sed vniuersorum? Verùm non ignoratis, fratres, sæcularibus id moris esse, vt diebus festis festiua sibi conuiuia parent: & quantò fuerit solemnitas clarior, tantò splendidiùs epulentur. Quid ergo? Nonne & his qui conuertuntur ad cor, cordis deliciæ sunt quærendæ, & spiritualibus spiritualia comparanda: Propterea iam paratum est conuiuium nostrum, fratres: iam cocta sunt omnia, & epulandi tempus aduenit. ℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes.

*Lectio* viij.

DIgnum est enim vt priùs anima satietur, quòd hæc portio sine dubitatione & sine comparatione sit potior; præsertim cùm Sanctorum solemnitates manifestum sit ad

animas

animas magis quàm ad corpora pertinere, & quæ animarũ sunt, animæ plus accepetent: quippe naturali quadam eis cognatione coniunctæ. Quibus propterea quoque Sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, & plus earũ refectionib⁹ delectantur: quoniam & ipsi nobis similes fuere passibiles; & ipsi peregrinationis huius & exilij miserabilis deplorauere molestias; & ipsi graue huius corporis onus, & tumultus sæculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium, quin gratior ei sit & multò acceptabilior illa festiuitas, quæ intenditur epulis animarum, quàm sit ea quæ celebratur à sæcularibus, curam carnis perficientibus in desiderijs voluptatum.

℞ Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. ℣. Prudentes Virgines aptate vestras lampades. Ecce sponsus. Gloria Patri. Ecce sponsus.

*Lectio ix. de Homilia Euangelij Dominica currentis.*

AD LAVDES.

*& per Horas, Antiph.*

SAncti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones *Psalm.* Dominus regnauit, cum reliquis, *Antiphona.* Isti sunt viri sancti, quos elegit Domin⁹ in charitate non ficta, & dedit eis gloriam sempiternam: quorum doctrina fulget Ecclesia, vt sole luna. *Antiph.* Cum palma ad regna peruenerunt sancti, coronas decoris meruerunt de manu Dei. *Antiph.* Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. *Antiphona.* In cælestib⁹ regnis sanctorum habitatio est, & in æternum requies eorum.

*Capitulum.* Eccli 44.

LAudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo.

*Hymnus.*

SAlutis æternæ Dator
Iesu redemptis subueni:
Virgo parens clementiæ
Dona salutem seruulis.
Vos Angelorum millia,
Patrumque cœtus, agmina
Canora Vatum: vos reis
Precamini indulgentiam.
Baptista Christi præuius,
Summique cæli Clauiger,
Cum cæteris Apostolis
Nexus resoluant criminum.
Cohors triumphãs Martyrũ,
Almus Sacerdotum chorus,

Et

Et virginalis castitas
Nostros reatus abluant.
Quicumque in alta siderum
Regnatis aula Principes,
Fauete votis supplicum,
Qui dona cæli flagitant.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

*Ad Benedictus, Antiph.* Gaudent in cælis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt, ideò cum Christo exultant sine fine.

*Oratio.*

INfirmitatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice: & mala omnia, quæ pro peccatis nostris iustè meremur, sanctorum tuorum huius Regni Patronorum intercessione clementer auerte. Per Dominum.

*Deinde commemoratio Dominicæ currentis.*

*Ad tertiam Capitulum.*

Laudemus. *Vt supra.*

℟. br. Lætamini in Domino,* Et exultate iusti. Lætamini. ℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria. Lætamini.

℣. Exultent iusti in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

*Ad Sextam, Capitulum.*

Eccli. 44. b.

FIlij eorum propter illos in æternum manent: semen eorum & gloria eorum derelinquetur. ℟. br. Exultent iusti. * In conspectu Dei. Exultent. ℣. Et delectentur in lætitia. In conspectu. Gloria. Exultent. ℣. Iusti autem in perpetuum viuent ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

*Ad Nonam, Capitulum.*

Eccli. 44. b.

COrpora sanctorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia. ℟. br. Iusti autem * In perpetuum viuent. Iusti. ℣. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum. Gloria. Iusti. ℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

*In ij Vesperis, Antiphona.* Sancti per fidem. *cum reliq. de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dominica: & loco vltimi, Psalm.* Credidi. *Capitulum & Hymnus vt in ia Vesp.*

*Vesperis.* 18. ℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

*Ad Magnificat, Antiph.* Recordare Domine gloriosæ Matris tuæ Mariæ & dilectorum seruorum tuorum Ioannis Baptistæ, Laurentij, Ansgarij, Sigfridi, Aeschili, Dauidis, Henrici, Erici, Botuidi, Helenæ, Birgittæ, Catharinæ, & aliorum Sanctorum Patronorum nostrorum, & ne auferas misericordiã tuã à nobis. *Oratio.* Infirmitatẽ nostrã.

*Commemor. Dominicæ.*

DIE XV. IVLII.

*In Festo S. Dauidis Abbatis.*

*Oratio.*

INtercessio nos, quæsumus Domine, Beati Dauidis Abbatis commendet: vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum.

*Lectio iij.*

DAuid in Anglia nobilibus & Christianis parentibus natus, à puero in scientia, & vitæ probitate, & Christiana charitate proficiebat, adeò vt vniuersis quæ habuit in pauperes erogatis, Ordinem Cluniacensem ingressus, in arctissima disciplina & abstinentia vitam duxerit. Hic audita morte sanctorum Martyrum Sancti Sigfridi nepotum, cupiens & ipse Martyrij pro Christo particeps fieri, in Sueciam aduenit: atque ex Consilio sancti Sigfridi apud Ecclesiam Sneuingensem, in Wesmania sedem fixit. Vbi verbum Dei prædicans, multas iniurias & persecutiones passus est. Cùm iam præ senio oculi eius ex frequentibus lacrymis in oratione fusis caligarent, radium solis per fenestram intrantem, paxillum esse existimans, in eo appendit chirothecas; quas seruus vt afferret missus, in radio solis inuenit pendentes. Ad extremum vir sanctus plenus dierum, & bonis operibus, ex hac vita ad vitam transiuit æternam Te Deum.

DIE XXVIII. IVLII.

*In Festo S. Botuidi Mart. Duplex.*

*Omnia de Communi Vnius Martyris, præter ea quæ hic sunt propria.*

*Hymnus.*

GAude cæleſtis ciuitas,
Grata depromens cantica:
Botuidi clara Sanctitas
Laude lucet magnifica.
Lætetur Sudermania
Tale producens lilium:
Congratuletur Anglia
Tantum baptizans filium.
Verba Dauid ne effluant,
Cordi curauit tradere:

Divitiæ si affluant,
...olite cor apponere.
...b sancti memor operum,
...ectatur innocentiam:
...obiæ patris pauperum
...cutus est clementiam.
Post impios non abijt,
Nec appetit terrestria;
Sed onus leue subijt,
Regna petens cælestia.
O fortitudo Martyrum
Christi, Botuidi præcibus
Optatum nobis brauium
Concedas in cælestibus. Amē.
℣. Gloria & honore corona-sti eum Domine. ℟. Et con-stituisti eum super opera ma-nuum tuarum.

*Ad Magnificat, Antiph.*
Botuide tyro nobilis, victor candens de prælio, in morte ...sæ similis, vita candenti li...io, nos huius vitæ labilis la...entes in exilio, coniunge Martyr sublimis Sanctorum domicilio.

*Oratio.*

COrdibus nostris, quæsumus Domine, verè fidei splen...or illuceat: & Beati Botui...i Martyris tui salutaris in...tercessio ab instantibus peri...ulis nos defendat. Per Dñm

*In j. Noctur. leguntur Lectiones de Script. Occurr.*
*In ij. Noctur. Lectio iv.*

BOtuidus in Regno Sueciæ honestis, sed infidelibus parentibus natus, iuuenis in Angliam negotiationis causa profectus fuerat: vbi à quodam sacerdote, singularis doctrinæ & sanctitatis viro, hospitio receptus, non solùm mysteria fidei Christianæ didicit, verùm etiam gratia Baptismi accepta, in disciplina vitæ & perfectionis Christianæ egregiè instructus est. Reuersus in patriam gaudens, vt quondam felix ille Eunuchus à Philippo Diacono baptizatus, multos incredulos ad fidem Domini exemplis & salutaribus exhortationibus adducebat; Domino cooperante, & sermonem confirmante multiplicibus signis.
℟. Honestum fecit.

*Lectio v.*

CVm enim die quadam Sanctus cum familiaribus suis & vicinis ad capturam piscium progressus fuisset, & à possessore loci illius Bouino retia laxare prohiberetur, nisi quartam partem piscium sibi promitteret; Beatus vir litē cedens, ad propriam insulam perrexit: atque ipse in genua procumbens ad orationem, famulis vt retia mitterent, imperauit. Quo insistente orationis, tanta piscium multitudo extracta est, vt duas naues implerent. Quod audientes illi qui circa possessionem Bouini tota nocte frustrà laborarunt, ad virum Sanctum properant


perant

perant; à quo licentia impetrata, naues suas implent piscibus: tantoque miraculo permoti, ad prædicationem Botuidi crediderunt, & baptizati sunt.

℟. Desiderium animæ.

*Lectio vj.*

Contigit autem vt Sclauum quemdam, quem à captiuitate redemptum ad gratiam Baptismi adduxerat, & libertate donauerat. per Gothiam in patriam suam reuertentem, securitatis causa magna charitate deduceret. Quo itinere defatigatus, post Orationes ad Deum factas, sub quadam arbore obdormiens, ab eodem ingrato homine securi crudeliter trucidatus, coronam iustitiæ à Domino iusto iudice consecutus est. Cuius corpus à propinquis ductu auis candidæ à Deo, qui in Sanctis suis semper est mirabilis, cum magna fidelium consolatione repertum, & in patriam delatum est.

℟. Stola iucunditatis.

*In tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

*Lectio vij.* Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episc.
*Ex Tract. 51. in Ioannem.*

Ministrant Iesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Iesu Christi, hoc est enim, Me sequatur, Vias ambulet meas, non suas; sicut alibi scriptum est. Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulauit ille, & ipse ambulare. Debet etiam si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de iactantia: non aliud ibi quærere quàm opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextera: id est, vt alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat; recteque illi dicitur, Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: nec tantùm ea quæ ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia bona opera propter Christum facta: tunc enim erunt bona, quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.

℟. De Sodoma Lot exiens in monte seruat animam, Dauid saluatur fugiens, Ioseph custodit dominam: * Iustus curr pertransiens, ad vrbem munitissimam ℣. Pauperibus compatiens, in cælo parat sapiens mansionem tutissimam. Iustus.

*Lectio viij.*

Mini-

MInister est Christi vsque ad illud opus magnæ charitatis, quod est, animam suam pro fratribus ponere; hoc est enim pro Christo ponere: quia & hoc propter sua membra dicturus est: Cùm pro istis fecistis, pro me fecistis. De tali quippe opere etiam se ministrum facere & appellare dignatus est, vbi ait: Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam ponere pro multis. Hinc est ergo vnusquisq; minister Christi, vnde est minister & Christus. Sic ministrãtem Christo honorificabit Pater eius honore illo magno, vt sit cum Filio eius, nec vmquam deficiat felicitas eius. ℟. O nardus odorifera, ægris sana corporibus, apis fructu mellifera, corda mulcens dulcoribus; * Precatus offer mũnera Christo pro peccatoribus. ℣. O vna fructifera translata super æthera, numquam marcescens floribus. Precat⁹. Gloria Patri. Precatus.

*Lectio ix.*

CVm ergo auditis, fratres, Dñum dicentem: Vbi ego sum, ibi & minister meus erit: nolite tantummodò bonos Episcopos & Clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, benè viuendo, eleëmosynas faciendo, nomen doctrinamq; ei⁹ quibus potueritis prædicando: vt vnusquisque etiam paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo, & pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinã: ita in domo sua Ecclesiasticũ & quodammodò Episcopale implebit officium, ministrans Christo, vt in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt: multi non Episcopi neque Clerici, iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus; multi coniugati & coniugatæ; multi patres matresque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in ei⁹ martyrio posuerunt, & honorificante Patre coronas gloriosissimas receperunt Te Deum.

AD LAVDES.

*Hymnus.*

BOtuidi laudes colere
Deuotis decet mentibus,
Qui suæ precis munere
Nos seruat à nocentibus.
Corpus arctat ieiunijs,
Vt spiritum non deprimat;
Christi vacat obsequijs,
Ne vanitates hauriat.
Sanctum reddit amabilem
Cunctis vitæ sobrietas,
Pudicum, castum, stabilem,

Potus cibique parcitas.
Qui Martyrem magnanimum
Felicem post victoriam,
Adverum vexit gaudium,
Ipsi canamus gloriam.
O fortitudo Martyrum
Christe Botuidi precibus
Optatum nobis brauium
Concedas in cælestib⁹. Amē.
℣. Iustus vt palma florebit.
℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

*Ad Benedictus, Antiph.*

O turris fortitudinis, candens nocte carbunculus, corona pulchritudinis, puræ myrrhæ fasciculus, columna rectitudinis, cæcis & claudis bacul⁹, noster ad sedem luminis promotor esto sedulus.

*In secundis Vesperis, à Capitulo fit de sequenti, vt in Communi vnius Mart.*

*Ad Magnificat, pro beato Olauo, Antiphona.* Adest, dies lætitiæ, adest laudis materia. resultat vox Ecclesiæ, pulsent hymni cælestia: Martyr illustris hodie, palmæ ferens insignia, feliciter ex acie traductus in palatia, per coronam victoriæ vera migrans ad gaudia, stolam suscepit gloriæ Olauus Regum gloria.

*Oratio.*

DEus, qui es Regum corona, & Martyrum victoria: tribue nobis, quæsumus, beati Olaui Regis & Martyris tui pia apud te experiri patrocinia: vt per tuam, quam in eius passione glorificamus, magnificentiam, coronam vitæ diligentibus te percipiamus repromissam. Per Dominum.

*Deinde pro commemoratione S. Botuidi Antiphona.*

Vale robur debilium, monstratus ab auicula, consolator flebilium, puritatis ouicula; te pugilem mirificum tua laudat plebecula, numen petit saluificum pia deflens pericula; quam per tuum auxilium, vitæ subacta nebula, tractu ducat ad filium Pater viuens in sæcula. ℣. Iustus vt palma florebit ℟. Sicut cedr⁹ Libani multiplicabitur.

*Oratio.* Cordibus nostris, quæsum⁹ Dñe. *Vt supra* 33.

DIE XXIX. IVLII.

*In Festo sancti Olaui Regis & Martyris. Duplex.*

*In primo Nocturno leguntur Lectiones de scriptura occurrente.*

*In ij. Nocturno. Lect. iv.*

OLauus Rex Noruegiæ, Olaui Skothkonung, Sueconum & Gothorum Regis gener, Euangelicæ veritatis sinceritate in Anglia comperta, Rothomagi ad gratiam Baptismi deuota animi alacri-

rare peruenit. Purificatus lauacro salutari, non satis esse putabat, vt Episcopi & Sacerdotes continuè in Regno eius Nouergiano Christi Euangelium prædicarent: sed nouo rerum ordine ipse Rex Apostoli vice fungens, Christi gratiam passim omnibus prædicabat, innumerabilemque populi multitudinem Domino breui acquisiuit. Quod indignè ferentes pleriq; proceres Nouergiani, fidei Christianæ hostes, Canutum Danorum Regem, contra eum inuitarunt. Quorum ille perfidiam declinans, in Russiam secessit ad Iaroslaum Russiæ Ducem affinem suum.

℟. Honestum fecit.

*Lectio* v.

IN Russia non paruo tempore demoratus, religionis & vitæ sanctissimæ celebrem atque iucũdam reliquit memoriam. Pertæsi autem Noruegiani optimi Regis absentiæ, ipsum ab exilio ad Regni solium per Legatos reuocant. Ille persuasus ab eis, per Sueciæ fines, magna Regis Amundi affinis, aliorumque propinquorum & amicorum gratulatione, in Nouergiam reuertitur. Quo comperto, veritatis hostes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, belloq; venientem excipere decreuerunt, duce Canuto Danorum rege.

℟. Desiderium animæ.

*Lectio* vj.

OCcurrit sanctus Rex inimicis cum exercitu, pro iustitia & fide pugnaturus. Interea noctu apparet ei Dominus Iesus Christus, atq; his verbis eum solatur: Veni dilecte mi, accipe coronam quam tibi præparaui in æternum. Qua visione confortatus, martyrio se lætus obtulit; iam diuinitus agnoscens scalam sibi ad cælos erectam, quam nuper in somnis viderat, per quam ad magnam illam multitudinem dulcedinis Diuinæ feliciter erat ascensurus. Anno igitur Domini millesimo vigesimo octauo per quosdam domesticos homines improbos, à Canuto Rege pecunia corruptos, oppressus, de castris ad Palatia æterni Regis, & de bello migrauit ad pacem. Cuius sanctitatem Deus post mortem eius multis declarauit miraculis.

℟. Stola iucunditatis.

*In tertio Nocturno.*

Lectio Sancti Euãgelij secundùm Matthæum.

*Lectio* vij. Cap. 16. d

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult

post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

*Homil de Vno Martyre.*

VEritas dicit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat; nec valet apprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sed iam qui se à vitijs abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt in quibus crescat. Nam cùm dictum est, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; protinus adiungitur, Et tollat crucem suam, & sequatur me.

℞. O quantus fidei feruor inuictissimi Martyris pectus accenderat, qui in medio gentium ferarum cõstitutus. *Non cessabat salutis verbum cunctis prædicare! ℣. Multos habebat aduersarios, qui viam Domini rectam conabantur euertere. Non cessabat.

*Lectio Viij.*

DVobus etenim modis crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter vtroque modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis; nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucẽ portabat in corde.

℞. Rex inclytus Olauus, Martyr Domini gloriosus, claritate confortatus diuinæ visionis, exultans accessit ad locum passionis: * Et per effusionem sanguinis peruenit ad palmã æternæ iucunditatis. ℣. Felici commercio pro cælesti Regnum cõmutans terrenum. Regem Rex vidit in decore suo, & in salutari Regis. Magna gloria Regis. Et per effusionem. Gloria Patri. Et per.

*Lectio jx.*

QVi enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam eam faciet. Ac si agricolæ dicatur: Frumentum si seruas, perdis; si seminas, renouas. Quis e-

nim nesciat, quòd frumentum, cùm in semine n itritur, Perit ab oculis, in terra deficit, sed vnde putrescit in puluere, inde virescit renouatione.
Te Deum laudamus.
*Ad Benedictum, Antiph.*
Egregius Martyr Olauus nocte præcedente diem passionis, splendore amictum contemplatur lesum astantem sibi ac dicentem: Veni chare meus: tempus est, vt laborum tuorum dulcissimos percipias fructus.
*In ij Vesperis, ad Magnificat. Antiphona.* Hodie pretiosus Martyr Olauus ab inimicis veritatis occisus pro iustitia, de castris victor ad aulam Regis æterni, de bello migrauit ad pacem, quæ exuperat omnem sensum.

## DIE XXXI. IVLII.

### In Festo S. Helenæ Viduæ & Martyris. Duplex.

*Ad Vesperas, Antiphona.*
Dum esset Rex. *cum reliq. de Communi non Virginũ.*
*Capitulum.* Prou 31. b
Mulierem fortem quis inueniet? procul,& de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui,& spolijs non indigebit.
*Hymnus,*

Felix parens Westgothia
Gaudens plaude, multiplica
Pro tuæ prolis gloria
Deuota laudum cantica.
Helena Martyr hodie
Carnis abiecto pondere
Cælestis aulam curiæ
Scandit de mundi carcere.
Claris orta parentibus,
Nobilitatem generis
Bonis ornare moribus
Cœpit ab annis teneris.
Post Maritale vinculum
Deo se totam dedicans,
Salutis fit spectaculum,
Exemplis, signis emicans.
Deus Creator omnium,
Te poscimus terrigenæ,
Vt nos ad cæli gaudium
Prece perducas Helenæ. A.
℣. Specie tua & pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, & regna.
*Ad Magnificat, Antiph.*
Salue decus patriæ, Martyr Deo grata, ad laudem Westgothiæ cælitus donata; coram Rege gloriæ dignè iam locata, esto regni Sueciæ clemens aduocata.

*Oratio.*

Largire nobis, quæsumus clementissime Deus, intercessione beatæ Helenæ Martyris tuæ veniam nostrorum peccatorum: & quos eius conceditis solemnijs gloriari, de eius precibus gloriosis cælitus adiuuari. Per Dominum.

 In primo

*In primo Nocturno, Lectiones de Parabolis Salomonis.* Mulierem fortem *Vt in Communi.*

*In ij. Noctur. Lectio iv.*

HElena nobilibus parentibus apud Westrogothos orta, post hiemem infidelitatis veluti nardus odorifera & stella matutina apparuit, exemplis radians, & signis coruscans. Hæc à puero instar Susannæ, in lege & iustificationibus Domini erudita est. Cùm ad nubiles annos venisset, tradita viro, eum tamquã Sara Tobiæ vxor, cum timore Dei suscipere consensit. Mortuo autem Viro, quamuis eam ad secundas nuptias ætas & opes vocarent, elegit potiùs Deo per spirituales nuptias coniungi, quæ a luctu incipiunt, & ad æterna gaudia ducunt, quam carnalib9 nuptijs subijci, quarum lætitia initium est, finis verò luctus.

℟. Propter veritatem.

*Lectio v.*

SOluta igitur vinculo maritali, laboriosam viduitatis vitam tenens, Iudith sanctæ mulieris imaginem in se expressit, nam omnibus diebus vitæ suæ ieiunijs & orationibus Domino seruiebat. Dom9 eius viatori patuit sempe; & de velleribus ouium eius calefactus est pauper. Ierosolymam ad sepulchrum Domini conueniendum, & adorandum in ijs locis, in quibus pedes eius steterunt, maximo deuotionis studio, religiosè profecta est. Dilexit præterea decorem Domus Dei: nam magnam Ecclesiæ Scodeuensis partem, in qua postea sacrum eius corpus depositum fuit, suo sumptu extruxit. Prophetiæ quoque spiritu donata, & mortis suæ diem, & locum sepulturæ longè antè prædixit.

℟. Dilexisti iustitiam.

*Lectio vj.*

DVm sic mulier sancta & Deo dilecta in assiduo bonorum operum exercitio versaretur, accidit vt gener eius, vir nobilis, propter sæuitiam, qua in coniugem exosam vtebatur nimia, à seruis, contumelias dominæ suæ iniquo animo ferentibus, occideretur. Eius necis famulam Dei propinqui non modò consciam, sed auctorem fuisse iniquè calumniati sunt. Ipsa verò bonitatis & pacis filia, innocentiæ alumna, benefaciebat ijs qui eam oderant, & orabat pro persequentibus & calumniantibus se. Quadam igitur die, dum in villa Gothene ad Ecclesiam iret, ab aduersarijs, grauibus inflictis vulneribus, crudeliter inter-

fecta

fecta est. Eam Alexander Papa Tertius, Carol Suercheri filio, Suecorum & Gothorum Rege instante, ob sanctimoniam vitæ, & miraculorum operationem, in Sanctorum numerum retulit, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto.
℟ Fallax gratia.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

*Lectio VII.* Cap. 12. d

IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Et reliq.

De Homilia Venerabilis Bedæ Presb. *Hom 7. Quadr.*

MAtrem & fratres dicit Apost los impletores paternæ voluntatis, qui à Deo Patre illum missum credebãt. Nec negauit matrem de qua carnem assumpserat, sicut insaniunt Marcionistæ & Manichæi, qui eum dicunt non habuisse verũ corpus, sed phãtastũ, sed spiritualẽ propinquitatẽ carnis o æ uli cõsãguinitati, vt & nos d ceret, in cautela nullum de affectione carnis recognoscere. Vnde adhuc sequitur: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.
℟ Lætare fidelium concio deuota, n num fac tripudium, natio Westgotha, * Helenæ Martyrium laudet mundi rota. ℣ Cuius per mundum clar t miracula nota Helenæ.

*Lectio VIII.*

QVòd Dominus eum qui voluntatem Patris sui fecerit, fratrem & sororem vocat, propter vtrumque sexum qui ad fidem colligitur, non est mirum. Valdè autem mirum & quæsitu dignum est quomodo etiam mater Domini dici possit. Nam & discipulos fratres dignatus est appellare post resurrectionem, ita inquiens: Ite, nuntiate fratribus meis. Qui ergo frater est in eum credendo, & Patris voluntatem implendo, quo modo etiam mater fieri possit, inuestigandum est. Sed sciendum, quia sicut quis frater Domini efficitur in eum credendo, ita etiam mater prædicando. Quasi enim mater Christi quis efficitur, cum per eius prædicationem amor Domini in proximi mente generatur. ℟ Audi clemens Domina preces tuæ gentis, gaudens inter agmina curiæ gaudentis, * Sis inter discrimina vitæ dux præsentis. ℣. Quæ fueras soli a gemitus reuelare dolentis. Sis inter. Gloria Patri. Sis inter.

*Lectio IX.*

MAgna dignatio, inæstimabilis bonitas, inenarrabilis misericordia, hominem, qui seruus vocari dignus non fuerat, fratrem Domini appellare. Quam quia ex æquo perpendere non valemus, saltem dignè venerari satagamus, omnique industria laboremus, ne aliqua vitiorum fœditate degeneres, & tanto nomine iudicemur indigni. Defendamus nobis moribus id quod nomine vocamur. ne non intelligentes honorem diuinæ filiationis, comparemur iumentis insipientibus, & similes illis simus: & vt ea quæ loquimur, obtinere mereamur, illius semper adiutorium nobis adesse poscamus, qui cùm esset vnicus Filius Dei, propter nos dignatus est esse filius hominis. Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes, Capitulum.*

Mulieré fortem. *Vt sup.* 28.

*Hymnus.*

ADest triumphus nobilis,
Dies redit lætitiæ,
Qua Martyr venerabilis
Venit ad thronum gloriæ.
Thesaurizauit auidè
Thesauros in cælestibus,
Dum opes suas prouidè
Dispersit, dans pauperibus.
Ieiunans, orans, operans,
Carnem domat & afficit;
Cælestia desiderans
Cum Deo mentem reficit.
Signa dedit insignia,
Surdis auditum tribuit,
Mundans lepræ contagia,
Cæcis visum restituit.
Deus creator omnium
Te poscimus terrigenæ,
Vt nos ad cæli gaudium
Prece perducas Helenæ: A.

*Ad Benedictus. Antiph.* O beata Domina, dignè sublimata, audi tibi carmina pié decantata; tua per precamina dilue peccata, duc ad cæli limina nos desiderata.

*In ij. Vesperis, ad Magnificat, Antiphona.* Vade flos Westgothiæ, patriæ lucerna, in via iustitia deuios guberna. de valle miseriæ nos duc ad superna, vt tecum in requie viuamus æterna.

DIE II. AVGVSTI.

*Commemoratio.*

*S. Catharinæ Vastanensis.*

*Antiph.* Veni sponsa Christi, accipe Coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum. ℣. Specie tua & pulchritudine tua. ℞. Intende, prosperè procede, & regna.

*Oratio.*

DEus, qui hæc etiam tuam beatæ Catharinæ præclaris decoras meritis, & gloriosi

lætificas miraculis: concede nobis famulis tuis; vt eius exemplis in melius reformemur, & ab omnibus aduersis eius patrocinio protegamur. Per Dominum.

*Et in Laudibus, Antiph.* Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa, dedit omnia sua, & comparauit eam. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Oratio.*

Deus qui Ecclesiam tuam. *Vt supra.*

IN MENSE SEPTEMBRI.

*Dominica proxima post Festum Sancti Matthæi celebratur festum Reliquiarum in Ecclesia Vpsalensi.*

*Omnia dicuntur Vt in Communi plurimorũ Martyrum, præter ea quæ hic assignantur.*

*Oratio.*

PRopitiare, quæsumus Domine, famulis tuis per merita gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum Martyrum Laurentij, Erici, & omnium Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ in hac continentur Ecclesia, vt eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur aduersis. Per Dominum nostrum.

*Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.*

*In primo Nocturno.*

De Actibus Apostolorum.

*Lectio j.* Cap. 5. b

PEr manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarũ ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

℟. Absterget Deus.

*Lectio ij.* Act. 19. b

INtrogressus Paulus synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine

ſitudine, diſcedens ab eis, ſegregauit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola tyranni cuiuſdam. Hoc autem factum eſt per biénium, ita vt omnes, qui habitabant in Aſia, audirent Verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. Virtuteſque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam ſuper languidos deferentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.
℟. Viri ſancti.

*Lectio iij.*

TEntauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorciſtis, inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritꝰ malos, nomen Domini Ieſu, dicentes: Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Iudæi Sceuæ principis ſacerdotum ſeptem filij, qui hoc faciebant. Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum eſt omnibus Iudæis, atque Gentibus, qui habitabant Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Ieſu. Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus ſuos. ℟. Tradiderunt.

*In ſecundo Nocturno.*

De ſermone S. Gregorij Papæ. *Homilia 32. in Euangelia.*

*Lectio iv.*

AD Sanctorum Martyrum corpora conſiſtimus, fratres mei. Numquid illi carnem ſuam in mortem darent, niſi eis certiſſimè conſtitiſſet, eſſe vitam pro qua mori debuiſſent? Et ecce qui ita crediderunt, miraculis coruſcāt. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & ſanantur: periuri veniunt, & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo viuunt illic vbi viuunt, ſi in tot miraculis viuunt hic vbi mortui ſunt? ℟. Sancti tui.

*Lectio v.*

QVod videri poteſt, meliùs dicitur ſciri quàm credi. Venturam ergo vitam nos Dominꝰ voluit magis ſcire quàm credere: qui eos quos inuiſibiliter recepit, apud ſe viuere nobis etiam viſibiliter oſtendit. Hos ergo, fratres chariſſimi, in cauſa veſtri examinis, quam cum diſtricto iudice habetis, patronos facite: hos

re: hos in die tanti terroris illius defensores adhibere. Certè si apud quemdam magnum iudicem causa quælibet vestra esset die crastina ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur; patronū vestra fraternitas quæreret, magnisque precibus ageret, vt apud tantum iudicem sibi defensor veniret.

℟. Verbera carnificum.

*Lectio* ix.

ECce districtus Iudex venturus est: tanti illius Angelorum Archangelorumque concilij terror adhibetur: in illo conuentu causa nostra discutietur; & tamen nos patronos modò non quærimus, quos tunc defensores haberemus. Adsunt defensores nostri sancti Martyres; rogari volunt, atque, vt ita dixerim, quærunt vt quærantur. Hos ergo auditores orationis vestræ quærite, hos protectores vestri reatùs inuenire: quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat. Vnde & tam longo tempore cōminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos misericordia eius refoueat, vt nullo modo negligentes reddat: sic priuata nostra perturbent, vt mens in desperationem non proruat: quia etsi præsumentes metuimus, & metuentes speramus, æternum Regnum citius adepturi sumus per eum qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Tanquam aurum.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam.

*Lectio* vij. Cap. 6. c

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis. Et reliqua.

De Homilia sancti Bernardi Abbatis.

*In Festo Omnium Sanctorum.*

LEgimus in Euangelio hodie, quoniam videns turbas Iesus, ascendit in montem. Prædicantem enim Dominum de ciuitatibus & castellis populi sequebantur: quorum saluabat animas, sanabat & corpora; & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cuius nimirum vox suauis, & facies decora, sicut scriptum est: Speciosꝰ forma præ filiijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Talis quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis: in quem nō solum populi, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospice-

prospicere. ℞. Propter testamentum.

*Lectio viij.*

QVod vobis suauius apponemus? Nimirum hæ sunt deliciæ Angelorum. Gustate proinde & videte, quoniam suauis est Dominus. Et huic suauitati, huic sapori, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet cõparari. Quid enim miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed à Deo hæc vniuersa dona sunt: nec dubium quin multò ampliùs reseruauerit sibi, quàm dederit creaturis. ℞. Sancti mei.

*Nona Lectio dicitur de Homilia Dominica occurr.*

## DIE VI. OCTOBRIS.

*Translatio S. Æschili Episcopi & Mart. Duplex.*

*Omnia vt in Festo eiusdem, præter Lectiones secundi Nocturni.*

De sermone S. Ambrosij Episcopi.

*In Natali SS. Martyrum Nazarij & Celsi.*

*Lectio iv.*

LIcet hic tantus Christi testis, Vexionensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragij. Neque enim istius vrbis charitas profluas, & fidei auara, tantum huic Martyrij derogauerit dum sibi arrogat, vt solùm erga mœnia sua patrocinij illius beneficia affutura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti vbique Martyrem, vbique te exaudit ille, qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti. Oratio enim quæ castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundũ, penetrat paradisum, euolat vsq; ad ipsum summæ Maiestatis, Angelo conferente, conspectum. ℞. Honestum fecit.

*Lectio v.*

QVæ cùm ita sint honoremus Beatos Martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones Regni, coheredes Dei. Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta, de qua iam nulla Deo cura est? Et vbi est illud, charissimi, quod ipsa Veritas loquitur per prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Et ite-

Et iterum: Mihi autem valdè honorificati sunt amici tui, Deus. Honorare debem⁹ servos Dei, quantò magis amicos Dei? de quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. ℟. Desiderium animæ.

*Lectio vj.*

HOnoro igitur in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam in perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corp⁹ quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me Propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo. ℟. Stola iucunditatis.

DIE VII. OCTOBRIS.

*In Festo S. Birgittæ Viduæ. Duplex.*

*Ad Vesperas, Antiphona.* Dum esset Rex, *cum reliq. de Communi non Virginū.*

*Capitulum.* Prou. 31. b

MVlierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit.

*Hymnus*

HOra consurgit aurea,
Lux absque nube rutilat,
Regna gaudent æthereæ,
Mundus applaudens iubilat.
Nam decor Regni Sueciæ,
Birgitta clari germinis,
Clara iam videt faciè
Splendorem veri luminis.
Ex fructuosa vinea
Virga processit gracilis
In ætate virginea
Pulchræ Rebeccæ similis.
Spicas virtutum colligit
Ruth post terga metentium,
Quarum se granis reficit
Intra terram viuentium,
Amatrix innocentiæ
Castum ducens coniugium,
Cor dedit sapientiæ,
Vanum postponens gaudium.
Iesu nostra redemptio,
Fac nos in Regnis cælicis
Huius Patronæ merito
Sanctorum frui gāudijs. Amē.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. intende, prospere procede, & regna.

*Ad Magnificat, Ant ph.* Birgitta Christi famula, fidelis in officio, tu felix Anna vidua, templi vacans seruitio, Rachel amore feruida, Iacob placens consortio, salus

ægrotis

ægrotis placida, deuotis consolatio, splendens iustorum seminio, mœstorum recreatio, fiat per tua merita grata nostra deuotio; quæ referas abscēdita, nos offer lucis radio.

*Oratio.*

DOmine Deus noster: qui Beatæ Birgittæ per Filium tuum vnigenitum secreta cælestia reuelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in reuelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eundem Dominum.

*In primo Nocturno, Lectiones de Parabolis Salomonis.* mulierem fortem. *Vt in Communi.*

*In secundo Nocturno.*

*Lectio iv.*

BIrgitta in Suecia illustribus & pijs parentibus orta, sanctissimè vixit. Cùm adhuc in vtero gestaretur, à naufragio propter eam mater erepta est. Decennis post auditum de Passione Domini sermonem, sequenti nocte Iesum in cruce, recenti sanguine perfusum vidit, & de eadem passione secum loquentem: quo ex tempore in eiusdem meditatione ita afficiebatur, vt de ea sine lacrymis cogitare deinceps nunquam posset. ℟. Propter veritatem.

*Lectio v.*

VLfoni Nericiæ Principi in matrimonium tradita, virum ipsum ad pietatis officia, tum optimis exemplis, tum efficacibus verbis adhortata est. In filiorum educatione pijssima. Pauperibus, & maximè infirmis, domo ad id muneris dicata, inseruiebat quā diligentissimè, illorum pedes solita lauare, & osculari. Cùm autem vnà cum viro suo rediret Compostella vbi sancti Iacobi Apostoli sepulchrum visitauerant, & Atrebati Vlfo grauiter ægrotaret, sanctus Dyonisius Birgittæ noctu apparuit, vt de mariti salute, alijsque de rebus, quæ futura erant, præmonuit. ℟. Dilexisti iustitiam.

*Lectio vi.*

VIro Cisterciensi monacho facto, & paulò post defuncto, Birgitta, audita Christi voce in somnis, arctiorem vitæ formam est aggressa. Cui deinde æterna multa fuerunt diuinitus reuelata. Monasterium Vastanense sub regula sancti Saluatoris, ab ipso Domino accepta, instituit. Romam Dei iussu venit, vbi plurimos ad amorem diuinum vehementer accendit. Inde Ierosolymam petijt, & iterùm Romam: qua ex peregrinatione cùm in fe-

brim incidisset, grauibus per annum integrum afflicta morbis, cumulata meritis, prænuntiato mortis die, migrauit in cælum. Corpus eius ad Vastanense monasterium trãslatum est; & miraculis illustrem Bonifacius nonus in Sanctorum numerum retulit. ℟. Fallax gratia.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 11. d

IN illo tempore: respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliq. Homilia S. Hilarij Episcopi.

*In idem Euangelium.*

CÆlestium verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur: paruulis malitia, non sensu; sapientibus verò stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causis. Factique huius æquitatem Dominus paternæ voluntatis indicio confirmat: vt qui dedignantur paruuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant.

℟. O facies Moysaica, lotis coruscans radijs, sanctitate magnifica, magnis clarens prodigijs, * In requie pacifica sponsi fruens encænijs. ℣. O femina mirifica, continuis lætificas seruos tuos, præsidijs. In requie. *Lect. viij.*

AC ne quid in illo minus, quàm quod in Deo est, æstimaretur; omnia sibi à Patre ait tradita esse; soliq; se Patri cognitum, Patremq; solũ sibi notum, vel cui ipse reuelare voluisset, reuelaturus est. à Quo, vt reuelare velit, oretur. Quâ reuelatione tandem vtriusque in mutua cognitione esse substantiam docet; cùm qui filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio; quia omnia à Patre ei sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quam quæ in Filio soli nota sunt Patri: nota verò Filio soli esse quæ Patris sunt. Atque ita in hoc mutuæ cognitionis secretò, intelligitur non aliud in Filio, quàm quod in Patre ignorabile sit, extitisse.

℟. O canalem mundissimum, per quem de cæli cardine fluit, vt ros, eloquium ignitum sancto lumine, * Mentes inflammans hominum interiori lumine. ℣. Ora Birgitta Dominum, vt nos post vitæ terminum cælorum locet agmine, Mentes. Gloria Patri. Mentes. *Lectio ix.*

LEgis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi

cuti oneratos, ad se aduocat, dempturumque se laborem omnisque promittit, si modo eius iugum tollant; mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eumque sacramento crucis adeant, quia corde humilis & mitis sit, & in his animabus suis requiem inueniant, iugi suauis, & leuis oneris blandimenta proponens, vt credentibus eius boni scientiam præstet, quod solus ipse nouit in Patre. Et quid iugo ipsius suauius? quid onere leuius? Probabilem fieri scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

Te Deum laudamus.

## AD LAVDES,

*Hymnus.*

CÆli perornat gaudia,
Causam præstat lætitiæ
Birgitta Roma fulgida,
Pax & decus Ostgothiæ.
Beata pauper spiritu,
Palmas extendens pauperi,
Læto vultus intuitu
Manum porrexit inopi.
Soluto matrimonio (tur,
Postquam vir mundo mori-
Deuoti cordis osculo (tur
Christum sponsum amplec-
Sposus dilectam suscitat,
Veni, vocans, ad Libanum
Surgit amica, properat,
Regalem petens thalamum
Montes petit aromatum
Hæc affluens delicijs,
Donis plena charismatum
Vitam seruat à vitijs.
Iesu nostra redemptio,
Fac nos in Regnis cælicis
Huius Patronæ merito
Sanctorum frui gaudijs. A.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Ad Benedictus, Antiph.* Coronâ sponsa prædita, præsentatâ per Virginem, plebem deuotam visita, tuam rege progeniem, vmbram mortis illumina, noctis aufer caliginem, pedes nostros iustifica in pacis pulchritudinem.

*In ij. Vesperis ad Magnificat, Antiphona.* Vale suauis musica, demulcens aures Principum: tu Gedeonis buccina, castra deterrens hostium: tu dulcis tympanistria, corda mouens fidelium: conuerte mater inclyta luctum nostrum in gaudium.

FINIS.